



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Gefördert durch



Deutsche
Forschungsgemeinschaft

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

**DFG-Projekt "Personales Gelegenheitsschrifttum in der SuUB
Bremen (16. bis 19. Jhd.). Digitalisierung und Erschließung."**

**Rector & Professores Illvstris Scholæ Bremensis Ad
Exeqvias Matronae Consvlaris Gebeccaæ Koehnen Ex
Gente Cappelia, Conjvgis Viri ... Henrici Koehnen J.V.D. Et
Reipvblicae Consvlis, Natae MDCXCIX d. ...**

Köhhnen, Gebecca

Bremæ, 1766-10-21

VD18 91026520

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Signatur: brem.a.0621-15

[urn:nbn:de:gbv:46:1-179129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:46:1-179129)

15
RECTOR ET PROFESSORES
ILLVSTRIS SCHOLAE BREMENSIS
AD EXEQVIAS
MATRONAE CONSVLARIS
GEBECCAE KOEHNEN
EX GENTE

C A P P E L I A,

C O N J V G I S

V I R I

PERQVAM MAGNIFICI ET CONSVLTISSIMI
HENRICI KOEHNEN

J. V. D.

ET

REIPVBLICAE CONSVLIS,

NATAE ANNO MDCXCIX d. 1. AVG.

DENATAE ANNO MDCCLXVI OCTOBR. 21.

AETATIS ANNO LXVII. M. II. D. XXI.

IN DIEM VENERIS 24th OCTOB.

MORE SOLEMNI INVITANT.

B R E M A E,

TYP. VID. H. C. JANI, ET DIDER. MEIER, JLL. GYMNASII TYPOGRAPH.



GERBECCAE KOHNEN

EX CENTE

CAPPELLA.

CONIVS

L. S.

VIRI



Eleganter & prorsus apposite Divus Paulus, mortale corpus hominum (2 Cor. V, 1.) appellat *terrenam domum aut habitaculum nostrum, tentorii*. Quam inconveniens primo obtutu videri posset dictio domus tentorii, tam apta omnibus apparet attendentibus ad illa quæ circumstant, ad scriptorem & rem ipsam. *Σκηνή* tentorium est, quo utebantur peregrinantes, ut semet tuerentur ab injuriis æris dum quietem captabant, tempore æstus & noctis, & in quo delitescerent commorantesve videbantur habitare semoti ab ædibus ex solidiore materia constructis in urbibus & vicis, unde & huic habitaculo in terris opponitur ædificium a Deo, domus *ἀχειροποίητος*, manibus non facta, propius non confuta, æterna in cœlis, quam adeoque idem fatum non manebat idemque finis & exitus, qui terreno habitaculo, *κατάλυσις*, dissolutio: Valde similem descriptionem tentorii testimonii seu Sanctuarii, Israëlitarum in deserto errantium & ad promissam terram Canaanis tendentium, quod tanquam *χειροποίητον*, ex varia materia constructum & confutis pellibus tectum legimus (Ebr. IX, 11.) Apostolus in nexu, vitæ hujus stadium cum via emetienda, credentes viatoribus in peregrinatione, cœlum cum patria, beatos cum illis qui domi sunt, versantes in his terris cum eis qui foras apud externos degunt, confert, cumque spiritus noster immortalis qui in nobis agit, qui per illuminationem & vocationem divinam ad desideria rerum cælestium, retractus a concupiscentiis caducarum, impellitur, hospes sit ille & incola habitaculi dissolvendi; corpus organicum illud est tentorium commorandi terrenum, cujus *κατάλυσις* certo certius instare novimus, quotquot non solum communem omnibus nascendi & moriendi fortem circum circa nos, in sociis nostræ peregrinationis indies conspiciamus & experimur, sed quotquot veritates fidei de vita beata a Christo parta, edocti, ad illam anhelamus & hereditatem sanctorum in luce, non vero rerum caducarum & cum vitæ corporis fine nos destituentium, appetimus. Aptum & conveniens est symbolum tentorii dissolubilis & aliquan-

do dissolvendi,
coribus ventor
pungendas corpo
ex quibus fissura
ne immutabili ill
magis aptum &
scapto rem simul
genitum quo
puit (Act. XV
tium, ex pellibu
Exercuerat illud
am spatio (Act
tantam assiduo in
p.) pelles con
pudui, absens A
et, finem vitæ &
iplos industriam
tem in annuntian
viam stravit ut
sam, spem ipsi
ti; vitam hanc
patriam vero cu
tura fragile, de
meditatio harum
signia præbet e
tum roboranda
mutare, vilius e
liore & per om
LARIS cujus
translatus ad a
speraverat &
Genitores exu
sultissimus J
tronus integ
MELIA vo
omni nostra R
ficus DIDER
Senior præcla
FILIA Syndici
ALMATÆ
CAPPELN,
Syndicus, pos
Consul inclytus
Viri DIDER
troni atque T
HENRICVS
VON DEN B
T. T. DIDE
MAGNA T. T
Vir Illustris
& Ecclesiarum
LEN, Ampl
NE ABRA
ASCHEN M
HVNEKEN
ASCHEN,
NIS Magna
Asperiora e
triennis ver
Providentiæ
Inclyti Conf

do dissolvendi, siquidem ab aëris injuriis maceratum, concussionibus crebrioribus ventorum & solis aestu debilitatum, aut vetustate exesum est, ad pingendas corporis mortalis, quibus labefactatur noxas varias & multiplices, ex quibus fissuræ ac demum in morte atque subsequente putrefactione, ordine immutabili illo, a Deo constituto, dissolutio plena sequitur. Verum id magis aptum & accommodatum deprehendetur, si attendamus ad sacrum scriptorem simul & ad illos ad quos data est epistola, scilicet Corinthios. Pauli opificium quo sibi victum ex more eruditorum illius ævi comparabat erat *σκηνοπηγίας* (Aët. XVIII, 3.) sive constructio tentoriorum, in usum peregrinantium, ex pellibus caprinis, unde tentoriorum Kedar mentio (Cant. I, 5.) Exercuerat illud, ministerio inter Corinthios satis diuturno tempore sesqui anni spatio (Aët. XVIII, 11.) fungens, ne molestus esset cuiquam. Laborantem assiduo interdum conspexerant doctores & membra coetus (I Cor. IV, 12.) pelles consuentem. Prorsus æsthetice usus est hoc symbolo corporis caduci, absens Apostolus in epistola, quo Corinthiis in memoriam revocaret, finem vitæ & dissolutionem tabernaculi imminentem, cujus præsentis inter ipsos industriam in exercitio opificii toties oculis conspexerant, & fidelitatem in annuntiando Evangelio auribus ab ipsis excepto, erant experti. Sic viam stravit ut in ipsorum animis excitaret meditationem salutarium veritatum, spem ipsius & omnium credentium in hac vita non expleri sed in futura; vitam hanc meram esse peregrinationem, in qua sedes sunt ambulatoriæ, patriam vero cum sede permanente esse in coelis, corpusque nostrum sua natura fragile, destruendum suo tempore, quando erit consumtum. Crebra meditatio harum rerum lumine fidei adjuta, piis & Deo devotis mentibus insignia præbet emolumenta, in depellendis mortis terroribus & in spe meliorum roboranda, ut decedentes ex hoc fragili tentorio credant se domicilium mutare, vilius cum augustiore, caducum & ruinam minans indies, cum stabiliore & per omnem æviternitatem duraturo: **SPIRITUS MATRONE CONSVLARIS** cujus memoriæ causa hæc scribimus, hospes tentorii dissolubilis translatus ad æternas sedes, hoc lucro, domicilium mutans, auctus, quæ speraverat & desideraverat, per fidem & merita Sospitatoris, invenit. Genitores exuviarum depositarum fuere **PARENS** Vir Nobilissimus & Consultissimus **JOHANNES VON CAPPELN**, J. V. D. & causarum Patronus integerrimus; **MATER** Fœmina præclari nominis & exempli **WOMMELIA VON ASCHEN**. Majores in utroque stemmate fuerunt Viri de omni nostra Republica meritissimi: **AVVS** in paterno Vir perquam Magnificus **DIDERICVS VON CAPPELN**, Jctus eminentissimus & Consul Senior præclare meritis; **AVIA** **TT. GEBECCA WACHMAN**, **FILIA** Syndici celeberrimi nominis **JOHANNIS WACHMAN**, atque **ALMATÆ HOLLEN**. **ABAVVS** **T. T. HENRICVS VON CAPPELN**, J. V. D. primum Capitulum S. S. Willehadi & Stephani Syndicus, postea Juris in Schola patria Prof. Publ. Ord. dein Senator, demum Consul inclytus, **ABAVIA** **T. T. METTA HOYER**, nata Magnifici Viri **DIDERICI HOYER** Consul Senioris & Ecclesiarum in agro Patroni atque **T. T. LVCIA MEYER**. **ATAVVS** Amplissimus Senator **HENRICVS VON CAPPELN**, J. V. D.; **ATAVIA** **T. T. ELISA VON DEN BRINKE**, progenies generosæ stirpis; **AVVS** **MAGNVS T. T. DIDERICVS VON CAPPELN**, J. V. D. & Senator; **AVIA** **MAGNA T. T. REBECCA NEVIN**; in genere materno **AVVS** fuit Vir Illustris **HENRICVS VON ASCHEN**, Jctus celeberrimus, Consul & Ecclesiarum in agro Bremensi Patronus, **AVIA** **T. T. ANNA HOLLEN**, Amplissimi Senatoris **JOHANNIS HOLLEN** & **T. T. ANNÆ ABRAHAMS** **FILIA**. **ABAVVS** **T. T. HENRICVS VON ASCHEN** Magnarius & Patriæ Senator, **ABAVIA** **T. T. WOMMELIA HVNEKEN**. Denique **ATAVVS** **T. T. GERHARDVS VON ASCHEN**, itidem Negotiator felicissimus & Senator, **FILIVS** **JOHANNIS** Magnarii, **ABAVIA** **T. T. ELISABETHA KRAIENBEEKS**: Asperiora experta est in tenera ætate fata, & biennis cura matris, triennis vero Parentis, morte ipsi ereptorum, orbata, sed benigno Providentiæ ductu damnum compensatum est tutelis, primum Avi Inclyti Consul **HENRICI VON ASCHEN**, in cujus ædibus, quous-

que adoleverat decennis, permanfit; tum poſtea Perquam Magnifici Conſulis WERNERI KOEHNEN, Viri de re noſtra Civili, Eccleſiaſtica & Scholaſtica meritiffimi, Soceri poſtmodum & vigili cura conjugis ejus, ipſius materteræ. Nihil reliquum fiverunt tanti tutores quo animus ad omnem virtutem, ad ſcientias inprimis cultus divini & pietatem, moresque ad virginale decus formarentur. His ornata, deſponſata eſt Viro Perquam Magnifico & Conſultiſſimo HENRICO KOEHNEN, Jcto Excellentiſſimo & Patriæ Conſuli inclyto, viduo nunc mœſtiſſimo, cujus hac morte inſlicto gravi vulnere Deus fons exſuperantiſſimus omnis ſolatii medeatur, ipſumque in Patriæ commoda diutiſſime ſuperſtitem eſſe jubeat. Matrimonium celebratis hymenæis d. 2. Maji A. 1719. raro exemplo in annum 48 durans, ex omni parte cum maxime ex prole bina maſcula felix, primogenito, Viro Nobiliſſimo WERNERO, S. Theol. Candidato, nato 23. Febr. Anno 1720, poſtgenito Viro Nobiliſſimo Doctiſſimo & Conſultiſſimo HENRICO KOEHNEN, J. V. D. & cauſarum patrono, nato, d. 18. Julii A. 1721. Ex hujus cum Matrona Nobiliſſima METTA GEBECCA SCHOE-
NEN, Viri Illuſtris CHRISTIANI SCHOE-
NEN, Conſulis Senioris & eccleſiarum Patroni, atque T. T. GEBECCÆ COEPER Filia, d. 23. Novembr. Anni 1745. contracto connubio, neptim in omne decus atque ſpem effloſcentem Ornatiffimam Virginem GEBECCAM KOEHNEN, natam d. 8. Decembr. A. 1747. vidit. Memoria pie defunctæ ab omnibus bonis coletur. Pietatis exemplo prælu-
xit, curæ itidem pro omni re domeſtica inſigniter vero pro Magnifici Mariti valetudine, amoris erga prolem, fidelitatis erga amicos. Deſiderium pro-
pterea ingens ſui poſt ſe relinquit ob iſtas virtutes, præterea comitatem, affabilitatem, odium faſtus & luxus & liberalitatem in egenos. Ante ſex circi-
ter hebdomadas levem ſentiens invaletudinem, nihil ſiniſtri ominantem, cum accederet febris, ſed intermittens, qua depulſa ſub finem elapſæ hebdo-
dis violenta illam invaſit pectoris oppreſſio cum diſpnoea, adeo poſthabitis probatiſſimis remediis invaleſcens prodensque malum altas in corpore egiffe radices, ut cum ultimo halitu, animam Deo redderet. Exuviae condentur in templo B. V. hodie ſub horam I. Memento Lector exſequias iture, inſtare incertam horam in qua & nos domicilium mutabimus. Vos vero Cives no-
ſtri, frequentes ac modeſte funus, uti ſoletis, reverentes merita Illuſtris vidui comitatu-
ros, nulli dubitamus. Val. poſ. d. 24. Octob. A. MDCCLXVI.

